



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXVIII. Henricvs I. Elector XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

tia ob fidem sibi constanter præstitam privilegiis variis donavit, Princeps civium amantissimus, & Pastor ovium vigilantissimus per annos sedis 28. sub Pontificibus Paschale II. Gelasio II. Calisto II. Honorio II. & Innocentio II.

### XXVI. ADELBERTVS II. ELECTOR X.

**A**delbertus II. Adelberti I. ex fratre nepos, patruipotissimum meritis adscripsit haud immerito sui in Archipræsulem Moguntia electionem. Ab Innocentio II. Romam evocatus venit hospes Italis perquam gratus. Conrado III. Cæsari modico tempore contrarius, tantum deinde placuit, ut Adelberti consiliis persuasus Palæstinam cum exercitu petere decreverit; quam expeditionem dum adornare pro viribus cœpit, conatus mors omnes elusit, rapiens annorum 3. Archipræsulem, sedente etiam tum & dolente mortem Adelberti Innocentio II. Pont.

### XXVIII. MARCOLPHVS ELECTOR XI.

**M**arcolphus Aschaffenburgensis Ecclesie Præpositus meritis suis id consecutus est, ut in Moguntia solium evocatus tuto sedere potuisset, nisi mors quamprimum fecisset periculum, quæ nimirum citius præcipitavit in tumulum Marcolphum, quam Romam missum impetravit pallium, vix unius anni Elector an. 1142. sub Innocentio II. jam mortuus.

### XXVIII. HENRICVS I. ELECTOR XII.

**H**enricus I. ex Præposito, uti sæpe vocant, majoris Ecclesie Moguntinae propter insignem virtutem magis, quam natales haud illustres, in Electorem delectus, displicuit multis ob rem, ob quam merito placere potuisset: vitia nimirum dum in sese & subditis præsertim Canonicis detestatus est ardentius, sceleris ipse per summum nefas insimulatus, & à duo-

bus S. R. E. Purpuratis Patribus perperam rem edoctis, ad ipsum supremum in terris iudicem est delatus: cuius proin imperio tantisper sedem relinquere iussus, secessit in Saxoniam, ubi post aliquot menses distributis in pauperes opibus suis reliquis pauperem Christum est imitatus. Tempore vitæ ultimo auditus est dicere non raro: *Dives sui Canonicus, pauper Præpositus, mendicus Episcopus.* D. Abbas Bernardus, cuius consilia per sæpe rogare solebat, Henrici abundè perspectam habebat Innocentiam: unde epistolis suis id impetrasset facilè, ut restitueretur sedi suæ, nisi viam omnem & aditum literis mors intercepisset post annum Electoratûs 11. an. Christi 1153. Sederunt eodem tempore Lucius II. & Eugenius III.

### XXIX. ARNOLDVS ELECTOR XIII.

**A**Rnoldum Electorem authorum alij natione Moguntinum sanguine haud quaquam illustrem, alij Rhenanum nobilem ex nobili Selenhofiensium familia natum scripserunt. Nemini verò dubium fuit, quin præstantis corporis, præstantiorisque animi fuerit Decanus Aquisgrani, & ad D. Petrum Moguntia Præses. A consiliis etiam maximè secretis Friderico Cæsari fuisse non dubitant. Henrico Archipræsuli suo consiliis & auxiliis adstitisse ex eo metimur, quòd ejusdem restituendi causâ Romam contenderit. Interea verò temporis, dum Romæ agebat alienæ intentus causæ, suam promovit maximè; Henricus enim innocentia suæ immortalis, sedem reliquit viduam illi, qui Henrico invidabat minimè, nimirum Arnoldo; quo sedente bellum adversus Insubres gerebat Fridericus statutis jam antea pœnis in transgressores gravibus, si fortè armis absente Cæsare sese Imperij Proceres lacefferent. Haud verò Cæsaris minis absterritus Hermanus Comes Palatinus cum sociis, Arnoldi ditiones depopulari non destitit. Vim vi repellere, aut plus justo inferre haud cessabat etiam Arnoldus. Quare in Germaniam redux Fridericus *pœnam*, uti dixerunt,